DE DOCTA SIMPLICITATE PRIMAE ECCLESIAE, ET DE VSV CALICIS in Synaxi, & de Eucharistico sacrificio, aduersus petulantem insultationem Iacobi Andreæ, Pastoris Göppingensis BARTH. LATOMI

RESPONSIO.

COLONIAE,
Apud Maternum Cholinum,
Anno. 1559.

030056740

DE DOCTA SIMPLICITATE PRIMAE ECCLESIAE, ET DE VSV CALICIS IN SYNAXI, ET DE Eucharistico sacrificio, aduersus petulantem insultationem Iacobi Andreæ Pastoris Göppingensis, BART. LATOMI

RESPONSIO.

MIsit his diebus amicus quidam libellū ad me, Hyperaspisten, inscriptū, hoc est, scutarium quendam Thrasonicæ cohortis militem, Iacobum Andreæ, Pastorem Göppingensem, quem tu lupū tamē in caula ouili rectiùs dixeris, hominē, sicut res ipsa ostendit, & mente & lingua in alieni nominis contumeliam ita paratum, vt in eo agnoscas, si diis placet, verum & germanū Euangelicæ professionis discipulum. Hic cùm in dicto libello prolegomena quædam Iohannis Brentii aduersus Apologiam Matthiæ Bredenbachii ludi Embricensis moderatoris, propugnanda susceperit, gladiatoria quadam iactati-

one in eundem huc illuc versans pugnã, in me quoque infestus incurrit, dictum quoddã meum incessens, quod ante quindecim plus minus annos in Responsione quadam aduersus Bucerum de nouis dogmatibus, & inter alia de Eucharistia sub vtraque vel sub altera specie tantùm sumenda, his verbis posueram, Cùm enim adhuc rudis esset prima Ecclesia, ritum à Christo acceptum religiosè tenuit, donec docta à Patribus intellexit, vtramq; speciem conuenire sacerdotibus, laicos solo pane contentos esse posse. Quo dicto ille malicioſa interpretatione deprauato, impietatis me ac blasphemiæ accusat, remque inuidiosa etiam Iurisperitorum compellatione ita aggrauat, vt ad summam atrociſsimi criminis intentationem nihil addere potuerit. Insultans enim Iurisperitum me, Bredenbachium autem subinde Grammaticum per cõtumeliam appellat (quasi nefas sit ea quæ hodie ne intellecta quidem à multis, iactata autem ab omnibus, à Grãmatico vel Iurisperito paulo studioſiore quàm volunt aduersarii, attrectari, cùm ne mulierculæ quidem ac sellularii artifices apud ipsos in balneis & conuiuiis altercari de religione desinãt) his verbis in nos exclamat:

Quid

Quid vobis videtur de noſtro Grãmatico? &c. Et mox: Sed hoc eò minùs ei vitio verti debet, quòd erroris & blaſphemiæ ſocium habeat Bartholomeum Latomum, qui contra epiſtolam Buceri de dimidiatione ſacramenti ſic ſcribere auſus eſt. Hic recitatis verbis quæ paulò antè poſui, mox intonat: Quis ſeſe hîc cõtinere poteſt? quin enormem hanc blaſphemiam deteſtetur? alter poſeſsione Grãmaticus, Chriſti inſtitutionem dicit incõmodam: alter Iureconſultus Eccleſiam, quæ ritũ à Chriſto accepit, rudẽ appellat, quaſi Chriſtus ebrius & ipſe incommoda ignorauerit, quæ ſuperſtitioſum hoc genus hominum cauere voluit, &c. cum aliis pleriſq; etiam contumelioſioribus, quæ benignus & ocioſus lector ex libello ipſo cognoſcere poterit.

Non agam contra obturbatorem iſtum oratione, qua dignus eſt, ſed nomen tamẽ meum à contumelia cauſam veritatis ab improbiſsima calũnia defendam. Quid ais fortiſsime propugnator? ego impius tibi ac blaſphemus videor? qui Eccleſiam primam naſcentem adhuc, necdum formatam in omnem partem, rudem appellaui? Vbi legiſti obſecro hanc Grammaticam, quæ tali in re prohibeat ſic loqui? Rudis

indigestaq; moles, dixit poëta quispiam, de primis rerũ elementis loquens. Tu nulla rudimenta tribues primæ Ecclesiæ? nullam quasi infantiam, nulla incunabula, quasi vagienti adhuc sponsæ Christi concedes? Cur Paulus dixit, se lacte, non cibo aluisse Corinthios, quia vt carnales ferre nondum possent. Et in epistola ad Heb. factos illos esse, ait, quibus lacte opus sit, non solido cibo, quia talis perfectorũ sit, qui sensus habeãt ad discretionem boni & mali exercitatos. An non sicut rerum omnium perfectio quædã est & cõsummatio, ita & principiũ esse oportet? Nisi tu fortè caudam cum capite, extrema statim cum primis committes? Dixit Christus discipulis, Adhuc multa habeo vobis dicere, quæ nõ potestis portare modò, sed cùm venerit Paracletus ille, quem mittet pater spiritum veritatis, ille docebit vos omnia, & inducet vos in omnẽ veritatẽ. An hic docenda nõ erãt prima Ecclesia? Per quos aũt docẽda, nisi per Apostolos & eorundem successores? Nisi fortè accepto Paracleto, iam tum coràm cernebant omnia, quæ ad explicationem fidei, ad ritum sacramentorũ, ad Ecclesiæ gubernationẽ profutura erant, nec docendi amplius, ne per eundem quidẽ spiritũ? nulliusq;

nulliusq; rei suo quoq; tempore vel admonendi inter ipsos, vel per reuelationem instruendi erant? Hoc si verũ est, cur dissensit Paulus à Principe Apostolorum, etiam post acceptum Paracletum? cur dissimulationẽ eiusdem parum Euãgelicam reprehendit? Visum est nobis & Spiritui sancto, &c. Statuerunt Apostoli eodẽ tempore, & ad fratres Antiochiæ, aliisq; in locis scripserunt. Tu negabis ex decreto illo primã Ecclesiam didicisse aliquid? cuius authoritate iactata etiam tunc inter Apostolos ipsos quęstio rectè sublata fuit. Paulus admonet Timotheum sanę doctrinæ, ad Corinthios nominat Prophetas & doctores in Ecclesia. Quibus si nihil actum est in prima illa magna domo Dei, nihil de veritate fidei, de virtute & vsu sacramentorum, de ministeriis, de moribus, de disciplina Ecclesiæ traditum est à patribus, quibús nam stetit prędidiis tanto tempore contra tot impias pertinacesque hæreses politeia Ecclesiastica? quem tenuit ordinem hierarchicum? qua luce per inexplicabiles errorum tenebras in hac mundi caligine hucusq; euasit incolumis? Deoq; aspirante euadet perpetuò, portũq; optatum prosperè tãdem ac fœliciter tenebit.

Nec tamen

Nec tamen idcirco vllo tempore perfecta nō fuit doctrina Ecclesiastica, præsertim in his rebus, in quibus non solùm cōstituuntur quasi elementa fidei ac salutis nostræ, sed in illis etiam, quæ ad ædificationem eiusdem non à quibuslibet, sed à perfectioribus duntaxat, altiori speculatione comprehēduntur. Omnia tamē subiecta vni spiritui, qui vt largitor est donorum omnium, ita & moderator & arbiter eorundem, diuidens vnicuiq; peculiariter prout vult, & vt nouit expedire Ecclesiæ. Ex quo intelligitur, nō primam tantùm, sed & posteriorem ætatem & iudicasse de rebus multis rectè ac sapienter, & de eisdem pro tempore saluberrimè constituisse, non ex nouis fundamentis doctrinæ, sed ex eisdem scripturarum traditionumq; fontibus, quibus abundauit prima Ecclesia, quorumq; fluenta ad nos liquidissima orthodoxa interpretatione studiosissimè trāsmisit. Quid igitur hic habes, Clypeate, quod reprehendas? in quo accuses impietatē blasphemiamq; meam? De multis magnis rebus didicerit aliquid à Patribus prima Ecclesia, de vsu ac dispensatione sacramentorū nihil didicerit? Cur igitur Paulus reprehēdit comessationes Corinthiorum in Ecclesia? cur de Cœ-

de cœna Dominica, quo ritu, qua religione, qua disciplina celebranda sit, admonuit? Quo in loco etiam cum abrupisset sermonem, addidit tamen, cætera quoq; sese, de quibus nihil dixerat, cùm venturus esset, dispositurum esse. At qua de re dispositurum, nisi de Synaxi? quã prophanari videbat à Corinthiis, neq; ad normã Euangelicę viritatis, neque religione, qua decebat, tractari. Atque vtinam disposuisset, sicut promiserat, minùs fortasse hodie esset cõtrouersiæ, remque alioqui certam satis, certiorem tamen vas ille lud electum, declaratione sua reddidisset.

Sed omitto ista, quæ tu quoq; sine dubio tãquam friuola, hoc est, ingrata tibi, contemnis. Illud ex rerum Ecclesiasticarum monumentis satis constat, in veteri Ecclesia alium apud alios Eucharistiæ ritum fuisse. Nonnullos enim solo pane consecrato, alios vino tantùm fuisse vsos. Quosdam miscuisse panem cum vino in calice. Fuisse & qui tinctum linteum in calice, ac mox siccatum asseruarent pro egrotis, dilutumque, si quando opus esset, porrigerent. Infudisse etiam quosdam paruulis sacrum liquorem intelligimus. Plures autem constat sacramentum hoc non nisi adultis impertiuisse. Sed & alios plerosque persua-

que perſuaſos ab hæreticis, ſuperſtitione quadam abſtinuiſſe à calice, quaſi veram carnem Chriſtus non aſſumpſiſſet, quos & à Gelaſio Papa, & ante eundem à Leone grauiter correptos fuiſſe, non vani authores perhibent. Viceuerſa autem & alios fuiſſe, qui cum Neſtorio, ſeparantes diuinitatem ab anima & carne Chriſti, nullatenus ſumebant ſacramentum panis ſine calice, exiſtimantes in diuerſis ſacramentis diuiſum Chriſtum, carnemque à ſanguine eiuſdem ſeparatam eſſe. quæ ſuperſtitio adhuc hodie durans, cauſam dediſſe traditur communioni Laicali, de ſola ſpecie panis laicis præbenda, idque decretum latum fuiſſe in Concilio Epheſino, ne calicem ſumendo orthodoxi, blaſphemiam Neſtorii approbare viderētur. Quod ſi verum eſt, ſicut ex actis Concilii cognoſcere licet, ſi modò integra habeantur, quanto odio digna eſt veſtra calumnia, qui populo in libellis & concionibus veſtris perſuadere conamini, communionem hanc nouam eſse, & temerè aduerſus inſtitutum Chriſti introductam. Sed ad rem. Quæro igitur ex te, an in tanta varietate communicandi docenda non fuerit Eccleſia? non admonendi fideles de indiuidua v-

nitate

nitate corporis & sanguinis Dominici? de trãsmutatione elementorum? de mysterio duplicis sacramenti eadem in re? Sed & de cæremonia ipsa, de fide & inuocatione fidelium, de sanctificatione eorundem priusquam accedant, de tempore celebrationis, aliisq; de rebus necessariis, nihil de his omnibus, inquam, ordinandum à Patribus, nihil statuendũ fuisse putas? Cur igitur non lauãtur hodie pedes fidelium? sicut Dñs ipse nobis exemplo suo commendauit. Cur celebratur ante meridiem Synaxis? quam Dominus vesperi celebrauit. Cur præcipitur nobis, vt ieiuni sumamus Eucharistiam? cum discipuli & inter cœnandũ, & cœna iam peracta eandẽ sumpserint. Temeré ne dices hæc facta esse à veteri Ecclesia, & à nobis hodie fieri? sine authoritate, sine ratione tradita, introducta, cõmendata populo, recepta ab omnibus, à nobis hucusq; religiosissimè seruata? quo quid absurdius? quid Christiano nomine ipsaque sponsa Christi indignius commemorari potest.

Hìc obstrepis, scio, & vtcunq; cætera introducta fuerint, negas tñ vlla autoritate introduci potuisse, vt mutaretur institutũ Christi, quo disertè mandatũ sit, vt de calice bibatur. Vbi obsecro,

mandatum eſt diſertè? Verba, inquis, Dominica ſunt, Bibite ex hoc omnes. O impudentiam tali propugnatore dignam. Hiſcéne præſtigiis illudere omnium oculis? ſenſumque ſcripturarum in apertiſsima luce verborum vltra fines veritatis extendere? Quæro enim ex te, quos in ſacra illa Cœna Dominus conuiuas adhibuerit? quibus cum egerit myſtica illa? quos verbis illis ipſis allocut⁹ ſit? Fateberis, opinor, niſi omnino aut non legeris Euangelia, aut ore duriſsimo fueris, ſolos Apoſtolos fuiſſe. Quod ſi verũ eſt, ſi certa & irrefragabilis eſt ſcripturæ authoritas, quam tu quoque cum tuis, & quidem ſolam, nec niſi expreſſam tamen recipitis, quo ore dices aliis quàm Apoſtolis eorundemq; ſucceſſoribus, calicem tunc à Domino porrectum, deque eodem vt biberent omnes, mandatum fuiſſe? Non quòd nefas fuerit alios etiam, qui tunc aberant, aut hodie etiam ſit nefas, oẽs qui Chriſto militant, de calice bibere (niſi quod inter Sacerdotes ac Laicos iam olim diſcreuit Eccleſiaſtica authoritas) ſed quia Apoſtolis, vt futuris Sacerdotibus in Eccleſia, calix tanquam Symbolum mortis Dominicæ, in celebranda memoria eiuſdem peculiariter non biben-

bibendus tantùm, sed offerendus etiam erat.

Nisi tu fortè hîc furiosiùs etiam tumultuaris? & negas vllũ vel sacerdotium vel oblationem noui testamenti esse in Ecclesia, idque ex placito Confessionis vestræ, quæ iuxta Epistolam ad Hebræos, vult vna oblatione consummatos esse eos, qui in perpetuum sanctificantur. Item sanctificatos nos esse per oblationem Iesu Christi semel factam, &c. Quæ quæstio ante xxx. annos excitata à Luthero, multisque infestis certaminibus iactata, & si aliena est ab instituto nostro, ne cessisse tamen videar temeritati tuæ, causamque veritatis hac in re deseruisse, respondebo tibi paucis, erroremque istum authoritate sacrarum scripturarum, totiusque antiquitatis testimonio, quantum potero, pro ingenii mei captu refellam. Nego aliud sacrificium in Epistola ad Hebræos contineri, quàm de quo modò locutus sum, nego aliud celebrari in Ecclesia, quàm illud de quo Epistola ad Hebræos loquitur. Vnus est Christus, vna hostia, vnum idemque sacrificium agni illius, qui & ab initio mundi, vt scriptura dicit, occisus, & in fine seculorum pro redemptione nostra in cruce oblatus fuit, quique hodie offertur in memoriam

eiuſdem crucis,& offeretur vſq; ad conſummationem ſeculi,donec idē agnus ille venerit mundū iudicaturus. Quòd ſi de ritu & cauſa offerēdi loqueris, nō diffitebor diuerſorum temporum diuerſos ritus & cauſas fuiſſe, ac proinde diuerſa ſacrificia appellari poſſe,re ipſa tamen ac myſterii ſignificatione non niſi vnum idemque & fuiſſe ſemper & hodie eſſe. Vnum, inquā,quod & ab initio mundi ſub variis figuris, in ſpem & expectationē futurorum: In cruce verè ac propriè, ſpe iam reddita & completa, in remiſſionem peccatorum: In Eccleſia autem hodie offertur ſub ſpecie panis & vini,ſecundum ordinē Melchizedeck, in memoriam eiuſdem crucis, & gratiarum actionem. Vt igitur priora illa duo omittam,de quibus nulla inter nos controuerſia eſt,quæro ex te,cur damnes ſacrificium Euchariſticum? quod tametſi alio ritu celebratur hodie, quàm in cruce oblatum fuit, vnum tamen, vt dixi, idemque ſacrificium eſt, vna victima, vnus Chriſtus, qui in Cœna illa vltima ſacroſancta, pridie quàm pateretur, immolato agno Paſchali iuxta ritum,quem Moyſes præſcripſerat, finitoque veteri teſtamento, nouum inchoaturus, accepit panem,gratias egit,

git, benedixit, fregit, dedit discipulis suis, & dixit: Accipite, manducate, hoc est corpus meum. Similiter & calicem postquàm cœnauit, &c. & subiunxit ibidẽ, mandans discipulis, Hoc facite, inquit, in mei recordationem. Hæc prima institutio fuit huius sacramenti, hæc Euangelici sacrificii manifestatio, tam multis ante seculis per oblationem summi Sacerdotis Melchizedeck adumbrata, nempe vt offeratur corpus & sanguis Domini, sub panis ac vini speciebus. Item vt iuxta ritum sacrificiorum, qui in lege pariter præscriptus erat, sumatur idipsum & participetur quod oblatum fuit, non à sacerdote tantùm, sed à cæteris etiam, quicunque rei diuinæ participes esse velint, idque totum celebretur in commemorationem mortis Domi nicę, & in sempiternam gratiarum actionẽ. Hęc cum ita sint, quisquam tã impius ac vecors est, vt dubitare de hoc tanto sacrificio? infinitisq; testimoniis ab initio mundi vsque in hanc diem posthabitis, non tantũ obstrepere sacrilega lingua, sed afficere etiam cõtumelia sacrosanctum mysteriũ, horrendisq; & inexpiabilibus blasphemiis inceſſere ausit? Quid em̃ habet hęc oblatio? aut quid oĩno hic agitur, quod vel Turcã ipsum, vel

vel barbaricam mẽtem vllam offendere poſsit? Memoriam mortis Dominicæ celebrare licet? quod vos ipſi confitemini: hoc autem modo, per oblationem incruentam, non licet? quæro cur non liceat, quid prohibeat, quid vetet tale ſacrificium fieri? etiamſi Dominus ipſe non mandaſſet. An non licet gratiis agendis Deo, Eccleſiæ ac ſponſæ filii DEI non offerre, non exhibere vnicum illum ſuum? quo nihil maius, nihil precioſius mundus vniuerſus habet, neq; vnquam eſt habiturus. Cur non liceat, inquam, illum ipſum nosque vnà cũ illo (vt Auguſtinus inquit) exhibere, offerre, conſecrare Deo patri? venerari oculos maieſtatis illius tanto munere? bonitatem, clementiam, immenſum beneficiũ ſalutis noſtræ in filio authore agnoſcere? glorificare eũdem, fide amplecti diuina myſteria, quæ oculis cerni non poſſunt, rapi mente in cælum, vniri Deo, ingentemq; ardorem charitatis cum certiſsima ſpe atque fiducia perfruendi tandem ipſius, concipere?

Apage, inquis, cum hac tua rhetorica. Non licet bis offerri Chriſtum, qui ſemel oblatus in perpetuum nos ſanctificauit. Audio Clypeate, ſed de hoc iam ante reſponſum eſt tibi. Non licet

tet bis occidi Christum, fateor, quia semel mortuus, amplius non moritur: offerri eundem etiã sæpius specie incruenta, quid prohibet? Quoties repetita fuerunt vetera illa prioris testamenti sacrificia? quæ futuram crucem filii Dei designabant: nobis memoriale hoc eiusdẽ crucis sacrificium repetere, instaurare, frequentare, non licebit? Semel in perpetuum nos sanctificatos esse quis ignorat? Num idcirco nulla est amplius sanctificatio? non petẽdum, non orandũ assiduè, vt sanctificemur adhuc? Quid enim est sanctificari, nisi mundari à peccatis, iustos, pios, sanctos, efficiac pronunciari? An frustrà dicit scriptura: Qui iustus est, iustificetur adhuc: & q̃ sanctus est, sanctificetur adhuc. Semel sanctificati sumus p̃ sanguinem Christi, vt serui peccati, in libertatẽ vindicaremur: sanctificamur quotidie, ne libertini ingrati in seruitutẽ mortis retrahamur. Per oblationem Crucis semel factam ius filiorum Dei adepti sumus: per eandẽ in Eucharistia frequentatam consequimur, vt faciliùs ad hæreditatem perueniamus. Quid te hîc offendit, quisquis es blatero? cur oblationem Eucharisticam ratã esse non sinis? Aliud est, inquis, offerri Christum in cruce, aliud memoriam eius celebrari. Offert,

qui exhibet ipsum, ac reddit Deo: memoriam eius celebrat, qui commemorat mortem ipsius, vel, vt Paulus inquit, eandem adnunciat. Nę tu mihi homo callidus & peracutus esse videris. Dixi modò incruentum Christum offerri, non occidi, in hoc sacrificio, quæ thesis nostra est: quod quid aliud est in proposito, quàm memoriam eius iuxta præceptum ipsius celebrari? qui dixit, HOC facite in mei recordationẽ. Non quòd memoria de Christo, siue commemoratio ipsius, sit ipse Christus, aut cęremonia oblationis representantis oblationem in cruce factam, sit illa ipsa oblatio siue res oblata, sed quòd in commemoratione ista offeratur Christus sub panis ac vini speciebus, non fictè & imaginariè, sed verè & corporaliter, iuxta verbum ipsius, quo dixit, HOC est corpus meũ, &c. Nisi tu fortè cũ Zuinglio hoc non credis? sed verum panem illum, verum atq; elementare vinum fuisse putas? quod etiãsi dicas, nihil obstat tamen, quò minùs vera fuerit oblatio illa, sed nudi duntaxat panis ac vini elementaris, non autẽ corporis & sanguinis DOMINICI, quod ne Cõfessio qdẽ vestra dicere audet. Vides igitur quid sit offerri Christum incruentũ ineffabili diuinæ opationis mysterio, quid in

cruce

cruce immolari. quæ si rectè discernas, facilè intelligis, Christum incruentum offerri in Eucharistia, & memoriam eiusdem celebrari, eadē esse: secùs autem, cruētum offerri, quemadmodū in cruce oblatus fuit, & in Eucharistia eundem offerri: id quod verè quidem fit & corporaliter, sed alio modo ac specie, nempe inuisibili mysterio, quod sola fide comprehenditur.

Sed tu negas talem oblationem à Domino factā, ac discipulis mandatā fuisse, qui tandūmodò iusserit illos facere, quod ipse fecerat, ipsum autē nihil obtulisse, sed gratias tantūmodo egisse Patri, corpusq; & sanguinē suū discipulis dedisse. Hoc si verū est Clypeate, quæro ex te, vtrū panem simplicem ac nudum dederit discipulis, an consecratum? Si simplicē, falsò ipse dixit, hoc corpus suum esse, nulla mutatione ibidē facta. Sin consecratum, quæro, quid sit consecrare? & ne Grammaticos, vel Iurisperitos etiam, prorsus contemnas, vel ab illis disce, qui vno ore dicent tibi, consecrare, sacrum facere, & sacrificare, idem esse. Iurisperiti autem diffiniunt, res sacras esse, quæ per Pontifices ritè consecratæ sint, hoc est, vt omnes sentiunt, addictæ Deo, oblatæ, dedicatæ. Quid autem re ipsa aliud est, ad-

dicere & dedicare Deo (quod & benedicere & ſanctificare Eccleſiaſticæ ſcripturæ vocãt) quàm ſacrificare & offerre Deo, vel, vt Apologia veſtra etiam explanat, Deo reddere, non quòd ille bonorum noſtrorum egeat, vt Auguſtinus cum Pſalmo dicit, ſed vt agnoſcamus authorem bonorum, eundemq; vt vitæ ſalutisq; noſtræ datorem venerantes, benignũ placatumq; habeamus. Omitto gratiarum actionem & benedictionem, quibus Dominus ante porrectum vtrũq; ſacramentum vſus eſt, quæ animo certè ac voto offerentis cõueniunt. Nam & gratus eſſe ſtudet qui offert, agnoſcens acceptum beneficiũ, & gratum pariter acceptũq; fore optat idipſum quod offert, quod aliquanto melius in voce εὐλόγησας, quàm in εὐχαρίστησας intelligitur, tametſi eôdem pertinent: quia illud non tantùm laudare & ſanctificare in ſcripturis, ſed etiam bene precari & verba boni ominis dicere ſignificat. Eôdem pertinere videtur, quod Auguſtinus ſcribit ad Paulinum, Voueri omnia quę offeruntur Deo, maximè autem ſancti Altaris oblationẽ, cui & aliud maximum votum inſit, quo nos vouerimus in Chriſto manſuros eſſe, hoc eſt, in compage corporis Chriſti, iuxta ſacramentum vnitatis, quo

vnus

vnus panis & vnum corpus multi simus, eaq; de causa in panis huius sanctificatione ac distributione huiusmodi preces ac vota fieri, quas εὐχὰς & προσευχὰς Græci appellent. Has certè & Paulus ad Timotheum, admonet à Presbyteris in Ecclesia faciendas esse. Hęc si vera sunt, vt certè verissima sunt, qd habes quod dicas, quò minùs cõfiteri cogaris in Eucharistia non tantùm sacrificium laudis esse, sed veram etiam corporis & sanguinis Dominici oblationem?

Nihil agis, inquis, nisi proferas apertiora testimonia, nam ne consecratio quidem vlla appareret in Cœna Dominica. Quid? consecratione vtuntur vestri? an non? vel tu ipse potiùs, qua consecratione vteris? nisi fortè ne mensam quidem Dominicam habes, quod tamen non puto. Nã illud certè constat, vos canonem consecrationis iuxta superstitionem vestrã mutilasse, sustulisse totum nondũ audiui. Quęro igitur, qua tu consecratione vtaris in exhibenda mensa Dominica? Negas te fortasse aliam habere, quàm accepisti ex vsu veteris Ecclesiæ. Quid? Hoc est corpus meum, dixit Christus. Videntúr ne hæc tibi cũ aliis ibidem ab Ecclesia adiunctis, verba consecrantis esse, an consecratum iam panẽ por-

rigentis? Quid hęres? Lupum, vt video, auribus. Si sunt hęc apta verba consecrantis, cur non confiteris? si non sunt, cur tu ipse? cur tui omnes, vt arbitror, secuti traditionem Ecclesiæ vtuntur? Neque enim aliud secuti estis, aut vlla etiam ratione potuistis sequi, quàm quod ab vniuersa Ecclesia sic traditum vsurpatumq; est. Nisi hoc quoq; stupēda temeritate vestra reieciſtis, quod tamen non credo. Quæro igitur, si hac formula nobiscum vtimini, vbi hoc expressum sit propheticis Apostolicisq; scripturis? extra quas tamen vos nihil recipitis, vbi, inquam, expressum sit, panem & vinum prædictis verbis à sacerdote prolatis, in corpus & sanguinem filii Dei conuerti? Nihil habes quod respōdeas, scio, neq; vnquàm habiturus es, etiamsi te vsq; ad insaniam confeceris. Et tamē adhuc dicitis iuxta placitum confessionis vestræ, nihil recipiendū esse, in his præsertim quæ ad cultum Dei, & ad sacramenta nouæ legis pertinent, nisi comprehensa scripturis sanctis & disertè expressa. Quod si verum est, duo præiudicia maxima aduersum te confecta sunt. Vnum, quod quamuis in scripturis expressum non est, quibus verbis Eucharistia sit consecranda, vos tamen formulam

ab

ab Ecclesia, etiam Papistica (vt vestro nomine vtar) recepistis. Alterum, quod quamuis oblatio Eucharistica iuxta sententiam vestram, ex scripturis fundari non possit, & tamen tradiderit eandem, multisque ab annis tenuerit, hodieque teneat Ecclesia Catholica, vos tamen eandem minimè recipitis, nec tantùm non recipitis, sed omni etiam genere blasphemiæ persequimini. quæ quanta sit & quàm turpis inconstantia, satis dici non potest. Cur enim recipitis formulam consecrandi ex traditione Ecclesiastica, nullis scripturis expressam, oblationem Eucharisticā ex eadem authoritate sola, vt vos vultis, profectā, non recipitis? Parúm ne indulgetis licentiæ vestræ? qui si qua vna in parte religionis inexplicabilia vobis incertaq; videntur, propter authoritatem tamen Ecclesiæ amplectimini? in altera parte, ea quæ certa nobis, vobis autem incōmoda aduersaq; sunt, neq; ex scripturis tamē vllis arbitratu vestro probari possūt, tametsi nituntur scripturis, tantoq; tempore approbata, recepta, obseruataq; fuerunt, non respuitis tātùm, sed velut impia etiā ac sacrilega detestamini? Itáne verò tu in quibus cōmodū tibi est, aut rē aliter expedire non potes, vsurpes nomē authoritatemq;

temque Ecclesiæ? in aliis quæ aduersa tibi sunt, neque ad normam confessionis tuę respondẽt, pro arbitrio ac libidine tua reiicias? Si credis Ecclesiæ (quam vos Papisticam, nos autem non ab vnius hominis gubernatione vel persona, sed à consensu totius orbis Christiani, paucis nouatoribus exceptis, Catholicam & orthodoxã appellamus) cur nõ offers calicem Dominicum in mẽsa Eucharistica? si non credis, cur consecras eundem? aut quibus verbis consecras? Nisi fortè nihil agi putas. Quod si verum est, si non sacrum, sed prophanũ hactenus porrexisti populo Göppingensi, quid te sceleratius, qui tam impiè & confidenter hominibus illusisti?

Sed tu exigis tamen scripturas à me, & quidẽ apertas. Quid? hæc tibi quæ paulò antè citaui, aperta, expressa, euidentia non sunt? Immolato agno paschali, quo Dominus ritum veteris Testamenti absoluerat, ingressurus nouum, cũ loco agni Mosaici accepisset panem, mox & vinũ, iuxta ordinem Melchizedeck, gratiisq; actis, fregisset, dedisset discipulis, dicens, Hoc est corpus meum: tu hîc aliud actum fuisse putas, quàm vt in locũ agni legalis succederet agnus ille verus? qui & ab initio mundi occisus fuit in figura, in

cruce

cruce autem verè ac patibiliter, hodie & vsq; in finem mundi memorialiter, hoc est, in grata recordatione fidelium, & in æterna gratiarũ actione. Quid hîc habes quod obturbes Clypeate? aperta ne ista tibi, expressa, & ante oculos posita videntur? Perlege locum Euangelicum, perpende singula, & confer cum immolatione agni Paschalis, qui in Exodo describitur. Confer, inquam, atq; illud etiam expende, quod commemoratur ibidem de causa ac memoria tam solẽnis sacrificii, nempe quòd in recordationem liberationis ex Aegypto institutum, quòd eodẽ nomine & commendatum posteris, & iugiter in sempiternum celebrandum fuerit. Indicabis, inquit, illo die filio tuo. Quo die? Cùm introduxerit te Dominus in terram Cananæi, quam iurauit tibi & patribus tuis. Vbi autẽ iurauit? Redi in Genesim, & scriptum inuenies, Per memetipsum iuraui, dicit Dominus, quandoquidem rẽ hanc fecisti, nec pepercisti filio tuo vnigenito, certissimè benedicam tibi, & multiplicabo vehementer semen tuum, sicut stellas cæli & arenã quæ est in littore maris. Quando autem factum est illud? Tu nescis Theologe? Cogita, quãdo Dominus collegerit filios Abrahæ? quando iustitia

Dei manifestata fuerit in terris, non per legem, sed per fidem Iesu christi, in omnes & super oēs qui credunt, nempe in Ecclesia Dei, quam Dominus redemit sanguine suo, eandemq; sibi electam desponsauit. Quid porrò sequitur? Eritq; tibi signum, inquit, super manum tuam, & monumentum inter oculos tuos, vt scilicet sit lex Dominiin ore tuo, quoniam in manu valida eduxit te Dominus de Aegypto, &c. Iubet externis etiã ac visibilibus signis hoc sacrum celebrari. Quid ita? ne memoria tanti beneficii vnquam excidat, animisq; etiã atq; oculis, cunctisq; sensibus affigatur. Confer singula cum singulis, rem cum re, causam cum causã, sacrificium cum sacrificio, inuenies omnia ita congruere, ita consentire, vt altera ab alteris expressa esse videantur.

Nisi tu fortè hæc allegorica esse dices? negabisq; exēplis & figuris veteris Testamenti, fidē in nouo adstrui? Quod si admittimus, euacuata est magna ex parte propheticarum scripturarum authoritas, nihil adumbrauerunt nobis sacramēta veteris legis, ritus, cæremoniæ, oblationes, sacrificia Mosaica, nihil habebunt mysterii ac significationis in nouo testamēto, nihil amplius fidei,

nihil

nihil testimonii præstabunt, nisi quantum à vobis acceperint Quod si ita est, cur Euangelistæ, cur Apostoli, cur omnes sacrarum literarum interpretes, toties citant exempla veteris Testamẽti? figuras declarant? cur Paulus ipse in Epistola ad Heb. ostendit excellentiam sacerdotii Christi exemplo sacerdotii Melchizedech? cur sanctificationem nostram per sanguinem Mediatoris ex sacrificiis Mosaicis demonstrat? An vana est vox Saluatoris, qua dixit, se venisse, non vt solueret legem, sed vt compleret? Cælum priùs & terra, inquit, transibunt, quàm vnum iota vel vnus apex de lege perierit? Et vos allegoriis fidem oraculorum eleuatis? transitis arcana scripturarum, dumq; legalium sacrificiorum mysteria ferre nõ potestis, prętextu allegorici inuersiq; sermonis veritatem eluditis.

Quid? scriptum est in Psalmis, Tu es sacerdos in æternum secũdum ordinem Melchizedeck. Item apud Malachiã, Non est mihi beneplacitũ in vobis, neq; accipiã munus de manu vestra, sed ab ortu solis vsq; ad occasum magnũ est nomẽ meũ inter gẽtes, & in omni loco incensum & oblatio munda offertur, &c. Ecquid ad rem facere has etiam scripturas arbitraris? Negas?

At tota ait antiquitas. Vtri credendum est? Sed videamus sanè, & quid probabile verumque sit exquiramus. In Epistola ad Hebr. citatur prædictus locus ex Psalmis, & allegatur ad confirmandum sacerdotium Christi, quòd maius sit Aaronico, & in æternum mansurum. De ritu tamen ibidem nihil dicitur: quæ autem causa reticendi fuerit, faciliùs à vobis in suspitionem ad confirmationem erroris trahitur, quàm à quoquam explicat. Nisi fortasse idcirco omissum fuit, quod (vt Seruator ipse alicubi dixit) vinum nouũ non videbatur veteribus vtribus committendum esse. Illud certè vel pueris notum est, non valere argumentationem negatiuam, quæ ab authoritate ducitur, vt, Paulus nõ scripsit hoc vel illud, ergo non est. Non fecit mentionem offerendi corporis, & calicis Dominici, cùm loqueretur de oblatione per sanguinem semel facta. Ergo nulla est talis oblatio. Quin illud potiùs considerandum est, vtrum testimonium conueniat sacrificio patibili, an Eucharistico? Et si vtrique conuenit, vtri propiùs ac pleniùs conueniat? Tu dices, sacerdotium Melchizedeck in Epistola ad Heb. accommodari sacerdotio Christi in cruce peracto. Ego vt concedam hoc tibi (Neq; enim

spiritus

ſpiritus ſanctus ignorauit, quorſum accõmodã-dum eſſet) illud tamen res ipſa oſtendit, ſi ad Eucharistiam referatur, non tantùm conuenire ſacerdotio, ſed & ritui ſacrificandi, nempe ſpeciebus panis & vini, ſub quibus Chriſtus ſeipſum in ſacra Cœna obtulit, porroq; Eccleſiæ ſuæ idem faciendum commiſit. Hoc ſi verum eſt, ſi ritus ſecundum ordinem Melchizedeck, qui ſacerdos Dei altiſsimi, vt ſcriptura dicit, panem & vinum obtulit, ſacrificio Euchariſtico pleniùs cõuenit, q̃ ſacrificio in cruce peracto, cur tu ringeris hoc in loco? cur in afferẽda oblatione Euchariſtica ſpiritus ſancti teſtimonium, prolatum in Pſalmis, à doctoribus Eccleſię, ab vniuerſo cœtu orthodoxorum tanto tempore agnitũ, valere non permittis? præſertim cùm vnum & idem ſit (vt ſuprà dixi) ſacrificium, vna eademq; oblatio, quæ vt in cruce per ſanguinem filii Dei ſemel ac viſibiliter, ad ſanctificationem electorum facta eſt, ita fit quotidie & celebratur ab Eccleſia, in memoriam tanti beneficii: neque vnquàm donec in terris erit Eccleſia, intermittetur.

Niſi tu fortè ritum hunc transfers è Synaxi ad ſacrificium crucis: quaſi Propheta ſenſerit,

Christum æternum sacerdotem ac futurorum Pontificem, ingressurum esse sancta (vt ad Heb. dicitur) non patibili illo ac visibili sanguine suo, sed Eucharistico & inuisibili, vnaq; tali oblatione secundum ordinem Melchizedeck, sanctificandos semel in perpetuum consummaturum esse. quo quid absurdius? quid à Prophetico sensu alienum magis dici aut fingi potest? Et tamen alterutrum dicas nec esse est. Aut enim vanus est Psaltes, qui dixit, æternum Christi sacerdotium futurum esse, secundum ordinem Melchizedeck, hoc est, in pane & vino futurum. Aut si hoc in cruce non est factum, necessariò dixeris alicubi factum esse, ne falsus sit Vates. Non est autẽ factum in cruce, quod constat, nec tu negare audes. Vbi est igitur factum? vbi, inquam, in pane & vino sese obtulit Christus? ipse victima ac sacerdos, nisi in mensa illa Dominica? nisi tũc cum finito veteri Pascha, ipse nouum instituendo, & obtulit se se in sacramentis prædictis, & discipulis suis, vt idem in memoriam sui facerent, mandauit. Et hæc de sacerdotio Melchizedeck.

Quod ad Prophetiã Malachiæ attinet, quã vos cõtra veterũ probatissimorũ autorũ sentẽtiã, nõ de oblatio-

de oblatione ſacrificii, ſed de laudib⁹ & gratiarũ actione, item de fide & inuocatione intelligitis, locus ipſe ſatis oſtendit, vtra ſit verior interpretatio: veſtráne, qua ſcopulum hunc manifeſtæ veritatis effugitis? an clariſsimorum luminum Eccleſiæ, quorum excellenti doctrina tenebris multorum pernicioſorum dogmatum è domo Dei fugatis, orthodoxa religio illuſtrior apud omnes ſtabiliorq́; facta eſt. Quid enim dicit, aut qua de re loquitur Propheta? Adfertis, inquit, ad aram meam pollutum panem, & dicitis, quánam re polluimus te? Cùm dicitis menſa Domini vilis habetur, cumq́; hoſtiam cæcam ſacrificatis, non eſt malum? Adduc, quæſo tale duci tuo, num id probabit? num ſuſcipiet faciem tuã, &c? & mox ſequunt verba, quæ ſuprà citaui, Nõ eſt mihi beneplacitum in vobis, dixit Dñs exercituum, neque acceptum habebo munus ciborum de manu veſtra. Etenim ab ortu ſolis ad occaſum magnum eſt nomen meum inter gentes, & in omni loco incenſum & oblatio munda (vel, vt alia verſio habet) mola pura, adfertur. quoniam magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum, &c. Quis hic non videt deſignari, non laudis & gratiarum actio-

actionis oblationem, quę impropriè hoc nomine appellatur, ſed ſanctum hoc noſtrũ & Euchariſticum ſacrificiũ? quod noui Teſt. eſt, & ſecundum ordinem Melchizedeck in Eccleſia, toto orbe terrarum, & inter gentes celebratur, purũ, mundum, ſacroſanctum, nulli contagioni, nulli humanæ infirmitatis vitio obnoxium, ratum, gratum, placitum ſemper, Deoq; acceptum, de quo diuina paternitas ipſa dixit, Filius meus es tu, ego hodie genui te. ET rurſum: HIC eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacitum eſt. Quæro enim, ſi hîc oblatio munda ad laudes & preces tantùm refertur, nec verè mundam immaculatamque hoſtiam illam corporis & ſanguinis DOMINICI pariter complectitur, vtrúmne vllæ tunc preces mundæ in Synagoga, vllæ laudes Deo gratæ acceptęque fuerint? non eorum, dico, qui reprehẽduntur à Propheta, ſed aliorũ fortaſſe, in quos Prophetæ obiurgatio nõ cõuenit? Quod ſi ita eſt, ſi nullæ tunc preces mundæ erant in Synagoga, vide ne ipſius quidem Prophetæ laudes ac preces mundę fuerint, qui concionabatur aliis, & impietatem ſacerdotum arguebat? Sin autem & tunc multorum laudes ac preces (vt credibilius eſt) in Synagoga, & mundæ iu-

dæ iuxta legem,& Deo gratæ acceptęque erant, quid denunciat propheta futurum esse idipsum, quod tunc aderat, quod fiebat quotidie in sacrificiis legitimis? quod Deo gratũ iam tum passim acceptumq; offerebatur? Nisi fortasse quod offerebat Abel, quod Noë, quod Abraham, quod Salomon in templi dedicatione non offerebat tantùm, sed precabatur etiam, ratum idipsum apud Deum acceptumq; non erat? Quid? cum preces, laudes, supplicationes aliter mundæ, Deoque acceptæ non sint, nisi à mundo fideliq; corde proficiscantur, iuxta illud: Populus hic labiis honorat me, cor autem eorum longè est à me. Et in Ecclesiastico, Nõ est speciosa laus in ore peccatoris, quia à Deo non proficiscitur. Item in Psalmis, Peccatori autem dixit Deus, vt quid enarras iustificationes meas, & assumis testamentum meum per os tuum, &c? quæ si vera sunt, si mundæ preces nullę, nisi quæ ex mundicia cordis & conscientia bona per fidem & charitatem proficiscuntur, quomodo oblatio earundem munda erit, nisi & cor fuerit mundum? præsertim apud vos, quibus nullum cor mundum est, ac ne mundum quidem esse potest, nulla in nobis existens, sed aduenienstan-

tum modò extrinsecus, & quę non est, sed imputatur tantùm iustitia? quibus oēs fideles, quantumuis iusti ac pii, peccatores sunt tamē, & quidem capitales, nullo discrimine, nulla peccandi aut delinquendi inæqualitate concessa. Potestis ne vos, vos, inquam, in eludendo sensu huius prophetiæ, hoc flexu interp̄tationis, hac fuga & tergiuersatione vti vllo modo? vos, inquā, qui vosmetipsos exclusistis ab hoc p̄sidio? hoc ius elabē di, hāc facultatē vobis ipsis ademistis. Nō temerè est quod dicitur, veritatis simplicē orationē esse, eò quòd verū vero vbiq;, omni in loco & tēpore, omni in causa conuenit. Vos autem dum hominē totū corruptū, totum deprauatū esse docetis, & quidē ita deprauatū, vt ne renatus quidem per Dei spiritum, mutet tamen naturā, sed mentem voluntatemq; auersam à Deo, vitiisq; horribilibus ignorantiæ atq; odii Dei, infectam, retineat, vsq; adeò, vt ne si velit quidē (quanq̄ ne velle quidem possit) sed si velit tamen, coneturq; etiā assistente Dei spiritu, alius tamen esse, corq; aliud, animūq; aliū quàm fert natura, habere nō possit: hoc, inquā, cùm ita sit, quā potestis cordis mundiciam, quā mentis puritatem, ac proindè quas puras sanctasq; preces, etiam in Sanctis

ipsis,

ipſis,atq; adeò in tota Dei Eccleſia,conſtituere? Sed hæc de ſcripturis.

Patres etiam citare poſſum, & quidem antiquitate ac doctrina præcipuos,ſed illos niſi arbitratu veſtro non recipitis. Adhibetis tamen interim quaſi teſtes,ſed velandis magis q̃ probandis dictis veſtris. In quo tamen ipſo nec candidè ſatis,nec bona fide agitis,dũ excerpitis dicta eorum,quatenus commodum vobis eſt, eaq; aliò quàm oportet detorquetis. Negatis in hac quæſtione illos de alia oblatione,quàm de laudis ſacrificio loqui,& citatis Græcum Canonem,qui ꝓpriè non loquatur de corpore & ſanguine Dominico,ſed de precibus & ſupplicationibus tantùm,ſi diis placet,offerendis. Vtinam totũ,qualiſcunq; eſt,reciperetis,minus inter nos eſſet cõtrouerſiæ. Sed quid dicit canõ? præſertim quem Chryſoſtomus condidit, nec Græcus ille tantùm,ſed & noſter Latinus. Commemorat primùm quæ Dominus in ſacra illa Cœna fecerit & mandauerit: Deinde ita dicit ſacerdos,Memoriam igitur agentes tam ſalutaris huius mandati,& omnium pro nobis factorũ,crucis,ſepulchri,triduanæ reſurrectionis,in cælos aſcẽſionis, ad dexteram conſeſſus, ſecundi & glorioſi rur-

ſus Aduentus. Hic iam exclamat continuando cętera his verbis, Tua ex tuis tibi offerẽtes, ſecũdum omnia & per omnia. Et reſpondet chorus: Te laudamus, tibi benedicimus, tibi gratias agimus. Rurſum ſacerdos, Propter hoc tibi offerimus rationalem hunc & incruentum cultum, & inuocamus & rogamus, & ſupplicamus, emitte ſpiritum tuum ſanctũ ſupra nos, & ſupra propoſita dona hæc. Hic ſurgit, & obſignat ſacra dona, & dicit, Et fac panem quidem hunc precioſum corpus Chriſti tui, Amen. Item in calice dicit: In calice vero hoc, precioſum ſanguinem Chriſti, tranſmutans ſpiritu tuo ſancto. Et continuat orando, Vt fiat, inquit, aſſumentibus in lotionẽ animarum, in remiſsionem peccatorum, in communionem ſancti ſpiritus, in regni cælorum impletionem, in fiduciam apud te, non in iudicium, non in condemnationem. Deinde de conſecratis iã donis, Præterea, inquit, offerimus tibi rationalẽ hunc cultũ pro in fide requieſcentibus maioribus, patrib⁹, patriarchis, prophetis, & Apoſtolis, p̃conibus, & Euãgeliſtis, martyrib⁹, cõfeſſoribus, cõtinẽtibus, & omni ſpiritu in fide initiato, &c. Et aliquãto pòſt Diaconus de eiſdẽ ǫblatis donis ad populũ, Quoniã humanus eſt

Deus,

Deus noſter, inquit, qui ſuſcepit hęc in ſanctũ & ſupercæleſte & intellectuale ſacrarium ſuũ. Cui acclamat populus, Domine miſerere, &c. Ex his perſpicuum eſt, quid iuxta Græcum canonem offeratur in hoc ſacrificio. Nam offert primùm ſacerdos dona altari impoſita, eamq; oblationẽ vocat τὴν λογικὴν καὶ ἀναίμακτον λατρείαν, rationalem & incruentũ cultum. Deinde poſt ſanctificationem eorũdem, rurſum offert eadem ipſa dona eiſdem verbis, & ſubiungit longiorem inuocationẽ. Hac finita exclamat Diaconus ad populum, quod humanus Deus, ὁ φιλάνθρωπος θεὸς, ſuſceperit ea in ſanctuariũ ſuum ſupercæleſte & intellectuale. Quid hîc clariùs de oblatis donis corporis & ſanguinis Dominici, deq; eiſdem in cæleſte atque intellectuale ſanctuarium diuinæ Maieſtatis ſuſceptis, dici poteſt? An mouet quenquam quòd λογικὴ λατρεία hîc appellatur? quaſi hoc ad laudes & preces tantùm, & non etiam ad Chriſti corpus & ſanguinem pertineat. Cur igitur additur ἀναίμακτος? vtrũ vox iſta qualitati corporali an incorporali rectiùs conuenit? vel quò omnino reſpexit hic Canõ? Sed mitto iſta. Ego etſi concedam tibi has voces ad preces ac laudes, item

ad fidem & inuocationem, vt vos vultis, rectè ac propiùs etiam q̃ ad sacramenta Eucharistica pertinere, idcirco ne confectum putabis, sacramenta illa non offerri in hoc eodem sacrificio, quod rationalis & incruẽtus cultus, hoc est, vt tu vis, verbalis fortasse dicitur, si verbum verbo exprimas, vel talis poti⁹, qui verbis, hoc est, laudibus ac precibus, gratiarumq; actione peragitur, cùm vox τὸ λογικὸν, aliter commodè reddi non possit. Vbi legisti obsecro hanc Dialecticam? in qua te contra Bredenbachiũ peracutum fuisse animaduerti. Sic enim tacitè colligis: Patres alicubi dicunt, & Canon Græcus ostendit, preces ac laudes offerri in hoc sacrificio, Ergo corpus & sanguis Christi non offeruntur. Quam collectionem si probas, & hanc probes necesse est, Scriptura nominat sacrificium laudis & iustitiæ, in Psalmis, Ergo sacrificium Crucis nullum est. Item, Christus voluit discipulos suos orare, ergo noluit eos ieiunare. Item, Curauit leprosos, ergo non curauit paralyticos. Quasi vt in contrariis, ita & in his quæ diuersa sunt, altero posito alterum tolli necesse sit. Nisi tu fortè contraria ista, & quidem immediata esse dixeris, quod si potes, ostende.

Sed

Sed de Patribus respondeo tibi, & dico Patres multis in locis expresse dicere, atq; ita etiã, vt dicunt, re ipsa sentire, non tantùm preces ac laudes offerri in hoc sacrificio (quæ tamen impropriè ac similitudine quadam offerri dicuntur) sed multò magis etiam proprio directoq; sermone dicere, corpus Domini & calicẽ incruentum offerri, quam oblationem interim dona sanctificata, salutaria, hostiam viuificam, salutarem, incruentam, item sacrificium, victimam, mysterium tremendum, &c. appellant. Quod vt exemplis ostendatur, vnum atque alterum proferam: Dionysius ille Areopagita, qui & Paulum præceptorem agnoscit, de Eccles. Hierar. de Synaxi, dicit Pontificem in Synaxi submouere catechumenos & energumenos à conspectu eorum, quæ geruntur circa salutaris hostiæ oblationẽ, perfectos autem & dignos admittere. Quæro hîc, de qua hostia loquatur tam sanctus tamq; vetustus author? Si de laude & inuocatione, quomodo cernuntur hęc oculis in Synaxi? si de corpore & calice Dominico, cur tanto viro non credis? quem constat Apostolos in carne, non vidisse tantùm, sed & credibile est, eosdem etiam, sicut &

Paulum

Paulum audiuisse. Irenæus, qui & ipse Apostolos breui interuallo secutus est, scribit Christum monuisse discipulos, vt primogenita offerrent Deo, non tanquàm indigenti, sed ne ipsi infrugiferi ingratiq; erga Deum inuenirentur. Itaq; accepisse panẽ hunc in vsum nostrum procreatum, gratiisq; actis, dixisse, hoc esse corpus suum. Similiter & calicem accepisse vsui nostro pariter destinatum, confessumque, eundem sanguinem suum esse, ac demonstrasse his sacramentis sacrificium noui Testamenti, quod acceptum ab Apostolis Ecclesia per totum orbem offerat. Citat Malachiam, quem paulò antè allegaui, cuius vos prophetiam apertissmam ad hymnos duntaxat & orationes restringitis. Origenes contra Celsum censentit cum Irenæo. Cyprianus, qui longiore interuallo Apostolos secutus est, ex vetustioribus tamen, in Epistola ad Cæciliũ, contra Aquarios, ita scribit, Admonitos autẽ nos scias, vt in calice offerendo Dominica traditio seruetur, neq; aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecit, vt calix, qui in commemorationem ipsius offertur, mixtus vino offeratur, &c. Subtexit exempla de Noẽ

&

& Melchizedeck, quorum alter bibendo vinũ, alter offerendo, typum Christi gesserit. Plures grauissimos testes proferre possem, Epiphanium, Chrysostomũ, Eusebium Pamphilũ, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Theophilactum, Damascenum, Hesichium Hierosolymitanum, breuiter omnes veteres, quorũ monumenta extant, qui, sicubi mentio incidit, vno ore testificantur omnes de hoc sacrificio, corpus & sanguinem Dominicum offerri in Ecclesia, idq; ex instituto Christi, sumi etiam à fidelibus in alimoniam vitæ spiritualis, & in communionem vnitatis corporis Christi. Nisi tu fortè homines fuisse, lapsos fuisse, dices? vt certè dicit Apologia vestra. Tu verò quis es? qui & quales gregales tui omnes? An non & vos homines estis? labi, errare, insanire, nõ potestis? Aude te: quid te dico? aude omnes tuos, vniuersam cateruam tuę factionis, cõferre cum vno quolibet illorum, qui à me nominati sunt. Mẽte captus fuerit, qui se, qui vitam salutemq; suam non vnicuilibet illorum commettere malit, quàm vniuersę concioni vestrę, etiamsi nulla inter vos esset dissensio: nunc autem diuisi opinionibus distractiq; estis, nec de

paruis quidem, sed de magnis præcipuisq; rebus (tametsi dissimulatis) tantoque interuallo diuisi, vt ne ratio quidem, non dico concordiæ sarciendæ, sed ne dissensionis quidem premẽdę, cuius vos pudet, vlla inueniri possit.

Quid hîc respondes mihi Clypeate? vtrùm videtur tibi sacrificium precum laudationumque Ecclesiasticarum tantùm offerri in hoc sacrificio? an vera etiam & viuifica in eisdẽ precibus & hymnis, corporis & sanguinis filii Dei hostia? Quod si ita est, si nullam iam amplius latebram eludendæ veritatis habes, cur non admittis discrimen inter eum qui operatur sacro Eucharistico? quem sanguinem tanquàm Symbolum mortis Dominicæ offerre ac sumere oportet: & inter alium de populo? cui satis est percipere Eucharistiam sub vtralibet specie, si vtraq; ex vsu & decreto Ecclesiæ non porrigatur, cũ prorsus indiuisus sit Christus, & tantundem corporis & sanguinis ipsius sub vna, quantum sub duabus speciebus contineatur.

Sed hîc scio, oblatras mihi de opere operato, & de applicatione Missæ, quæ tamen ab instituto nostro prorsus aliena sunt, Neq; enim

hîc

hîc mihi tecum de Missa res est, sed de Synaxi, & vsu calicis, qui nunc est & fuit in prima Ecclesia: & quid interfit inter Sacerdotem ac populum. In quo tamen longiùs prouectus sum, quàm instituera m. Abusus si qui sunt in Ecclesia, si qua praua cõsuetudo, sordida & quæstuaria sacrificulorum (quos tu vocas) operatio, nihil defendo, reprehendo etiam, abominor, detestor, si qua vsquam sunt, sacrilega compendia. Sed viderint Episcopi, ad quorum curam hæc res pertinet: tollant abusus, corrigant ministeria Ecclesiæ, reforment. Deo enim rationem procurationis suæ reddituri sunt. Atq; ô diem illũ, quo ante tribunal filii Dei, nũc quidem Mediatoris, tunc autem iusti ac seueri iudicis comparituri sunt. Quòd si vos tanto conatu instaretis reformandæ religioni, quanta importunitate oppugnatis veterem Ecclesiã, cõuellitis, mutatis omnia, respexisset, vt bona spes est, iampridẽ nos Deus, iamq; hauddubiè meliore loco esset res Ecclesiastica. Nũc aũt dũ odio inexpiabili infestisq; certamini b. gerũtur oĩa, nec tã pax Ecclesiæ & gloria Dei quęritur, q̃ vndiq; indulgetur priuatæ libidini, auersa offensaq; peccatis nostris diuina clementia, in

deterius prolabuntur omnia, resq; eò iam rediit, vt neq; bonorum initium, neq; malorum exitum vllum inueniamus.

Sed respõdeo tibi tñ breuiter de opere operato. Nego tale doceri in scholis nostris, nego in Ecclesiis publico consensu exerceri, quale vos nobis affingitis. Non enim in nuda ceremonia laudis & inuocationis res tanta constituitur, nec æstimatur ex merito & dignitate ministri offerentis, sicut falsò de nobis & scribitis in libellis vestris, & populo occinitis, sed oblationem corporis & sanguinis Dominici pariter complectimur, vt sit vnum indiuisumque opus Eucharisticũ memorialis huius sacrificii, nempe Christus Dei filius, cum laude & inuocatione in memoriam mortis omniumq; factorum ipsius, Deo patri oblatus, idq; non ex humana autoritate, sed ex mandato diuinæ institutionis, quo freti, miseri atque humi repentes vermiculi, audemus quod supra naturam captumque nostrum est, filium Dei sub elementaribus speciebus diuina virtute in corpus & sanguinem ipsius conuersis, manibus nostris peccatribus paternæ maiestati offerre, nihil hæsitantes de omnipotentia

Dei,

Dei, qui verbo iussit fieri mundũ hunc, & quod iussit continuò extitit. Huius salutiferi operis fructum, vt scias, non putamus nuda celebratione ociosis nobis ac supinis contingere, sed fide certa & inuocationis voto nitentibus, quomodo etiam arbitror scholas nostras (neq; enim aliud animaduertere potui) semper docuisse. Canon certè vterq; tam Græcus quàm Latinus idẽ re ipsa ostendit, qui totus ferè exequens mandatum Dominicum inter sacra dona offerenda in laudibus ac supplicationibus consumitur. Quo maiore etiam odio digna est vestra criminatio, qua negligi à nobis fidem & inuocationem in celebratione Eucharistica, nec doceri à nostris fide fructum sacramenti huius percipi, non improbè minùs quàm inuidiosè calumniamini. Quis enim est, qui ignoret, fidem sacramentorum omnium, totiusque salutis nostræ fundamentum esse, quæ etsi non inculcatur assiduè, id quod vos semper, nos cùm res postulat, sedulò facimus, idcirco ne impios & sacrilegos appellabitis? Quod si vulgus ministrorum per ineptiam, aut per insciti am fortasse, vel per sordes etiã, quid admiserint, quod receptum temeritate populi inoleuerit in Ecclesiis plerisq; ne-

gligentiùs adminiſtratis, idipſum ne publico cõ ſenſui totius Eccleſiæ imputabitur? aut ſi qua Romæ fortaſſe in ipſa curia ſummi Pontificis, ad quam omnium Eccleſiarum, omnium Epiſcoporum controuerſiæ totius nominis Chriſtiani, omnes deniq; beneficiorum cauſæ, ſi aliter diffiniri non poſſunt, deferuntur, in qua & boni ac pii verſantẽ multi, & mali interim ac ſcelerati pariter multi latẽt. In hac, inquam, ipſa ſede ac domicilio ſupremi Pontificatus, ſi qua impiè conferuntur ad quæſtum, vel ſi omnia etiã, vt vos dicitis, ſi auarè, ſi ambiciosè, ſi improbè ac turpiter multa fiunt, quæ non poſſunt patêre omnibus, ſed interim oculos etiam curioſiores, nedum Pontificis aures in tanto rerum ſtrepitu effugiunt, tu de his accuſabis vniuerſam Eccleſiam? vniuerſum Clericorum ordinẽ lapidabis? Vitia iſta priuatorum ſunt, ſi neſcis, certorũ hominum facta improba, ſcelera, ſacrilegia, quæ tu vniuerſis, niſi conſenſerint, niſi authores facti fuerint, quomodo imputabis? Sed quæro ex te, nullí ne ſint etiam abuſus iampridem apud vos, nulla inſcitia concionatorum, nulla quæſtuaria affectio? Item nullá ne ſit etiam ſuperſtitio in Eccleſiis veſtris, quas nondum tamen

annos

annos quadraginta tenuistis, nulla de religione dissensio? quæ apud nos tamen semper vniformis pacataque fuit, nulla doctrinæ prauitas? qua discrepatis quidem ab aliis omnibus, vos autem quid sequamini, nondum satis certum inuenire potuistis. Quid igitur est? ab auaritia, ambitione, libidine, cæterisque viciis etiam grauioribus, Euangelica professio immunes vos præstat? an eisdem etiam malis nobiscum obnoxii estis? Quàm vellem nihil apud vos talium rerum esse, faciliùs certè multi adducerentur, vt doctrinæ etiam crederent. Illud apud magnum quendam authorem nuper ociosè legi, Lutherum aliquando grauiter conquestum de suis, prorupisse in hanc sententiam, Tolerabiliorem Papatum fuisse, quem eiecisset è Germania, quàm mores talis populi, qui Euangelium recepisset. Quanquam hîc mihi tecum non de moribus Ecclesiæ, sed de vsu ac dispensatione sacramentorum res est, & quæ doctrina vera sit. Errores & quæstus sacrilegos nullos defendi vnquam, nec defensurus sum: quòd si quid tale fit, aut factum est vnquam, à fordidis, impiis, ac sceleratis hominibus, imputetur eisdem, non Sanctæ Ecclesiæ,

quæ

quæ vt magna domus Dei, multos miniſtros habet, non frugi quidem omnes ac fideles, ſed nequitia plures atq; ignauia perditos, à quibus Dominus aliquando cùm venerit rationem exacturus, tũ apparebit qua fide vnuſquiſq; in pecunia Domini verſatus ſit, quantũ vſuræ, quantum lucri fecerit. Sed ſatis de opere operato.

De applicatione Miſſę eadem quæ hîc dicta ſunt, repeto. quod ſi quid amplius à me requiris, conduc alium qui tecum litiget. Tollantur abuſus, ſi qui vſquàm ſunt in Eccleſia, reformetur adminiſtratio ſacramentorum, reſtituatur diſciplina, ſi quis error, ſi qua ſuperſtitio irrepſit in vſum Eccleſię, id quod procliue fuit ſemper, neque nunc nouum aut inſolens videri debet, tollatur de medio, repurgetur doctrina Eccleſiaſtica, nec tamen continuò ad normam doctrinæ veſtræ, q̃ nec ipſa ſibi conſtat, ſed ad regulam veræ & Catholicæ fidei, orthodoxam q́; lineam, quã ad veritatem ſcripturarum, maiorũ q́; traditionem directã Eccleſia Dei ſemper tenuit, & in futurum tenebit, donec ille venerit, qui de his rebus omnibus, coràm inter nos diiudicabit. Sed ſatis eſt tandem, ac nimium etiam extra cauſam.

Reſpon-

Respondi tibi de rudimentis primæ Ecclesiæ, de intermisso vsu calicis in Synaxi, de eodem retento in Eucharistico sacrificio, atque ibidem de ritu ac veritate eiusdem sacrificii: nunc pergo ad reliqua. Nefas esse exclamas, theologica attrectari à Iurisperitis & Grammaticis, & insultas aduersariis, quibus res ad tales patronos redierit. Appellas etiam vtriusque Ordinis professores, vt compescant quasi transfugas, eosdemque ex albo ordinis sui eradant. O ineptissimum nugatorem. Circumspice obsecro, an nulli sint hodie, aut fuerint etiam, ex vestris Grammatici ac Iurisperiti, nulli rhetores, nulli medici, cerdones denique, sordidissimarumq; artium exercitores, qui non tantùm per secessionem adiunxerũt se vestris partibus, sed concionari etiam ad populum, & ædere libellos, & de controuersiis religionis publicè altercari ausi fuerunt: quos si tu ignoras, aut dissimulas fortasse, ego nominare possem. Sed parco illorum pudori, ne amicos etiam quosdam nominare cogar. Sed quæro ex te, cur mihi, aut Bredẽbachio, minùs liceat de rebus sacris loqui, minùs scribere aliquid de publicis controuersiis, quàm tibi, aut tuis æqualibus, quos illotis ta

men, vt aiunt, manibus, ad sacras scripturas & ad diuinę sapientiæ tractationem accessisse, res ipsa ostendit. Arces Bredenbachium à sacrarum literarum studio, vt de me taceam, eundemq; omni genere conuitiorum improbissimè insectaris. Cur obsecro, cur illum à disceptatione dogmatum vestrorum excludis? cur non liceat illi quod omnibus hodie licet? quod vos ipsi quadraginta iam annis de tota doctrina Ecclesiastica vobis arrogastis? An minùs intelligit ille ac iudicat de sacris scripturis quàm tu? Vnde nactus es tantam sapientiam, vim tantam ingenii? Vnde habes ista solus? Nisi fortè quia doctorem te theologum aduersus Staphylũ nominas in fronte libelli nuper editi: id circo ius soli tibi & intelligendi sacras scripturas, & de eisdem rectè iudicandi collatum esse arbitraris? sed de hoc posteriùs. Ego Bredenbachio nihil earum rerum deesse video, quibus non solùm intelligi sacræ literæ ac ritè iudicari solent, sed tractari etiam fœliciter, & ornari ad fructum legentium, & omnibus vtiliter commendari possunt. Nisi tu fortè Dialecticus melior es quàm ille, qui nectendis syllogismis ita argutus deprehenderis, vt ex quibuslibet

buſlibet propoſitis quælibet efficias, perſæpe etiam exeat tibi aliud, ſæpe plus etiam, quàm inſtituiſti. Maledicendi certè libidine ac petulantia longè illum ſuperas, & quidem tanto interuallo, vt quiſquis legit Thraſonicum illum gladiatorem tuum, niſi ingenio duro inhumanoque tuique prorſus ſimilis ſit, vix poſſit à ſtomacho ſeſe iuſtiſsimaque indignatione continere. Quoties enim aſperis contumelioſisque dictis inſultas viro honeſto, erudito, ac minimè abs te contemnendo? quoties appellas Grammaticum per contumeliam? flagellas nomen ſcholaſticum? puerorum ferulis magiſtrum ſubiicis? obiurgas, increpas, irrides? Sed quæro etiamnum ex te, cur minùs liceat Bredenbachio, aut mihi etiam, ponere operam aliquam in cognitione ſacrarum literarum? quæ ad cognitionem veri cultus Dei, ad explicationem fidei, ad ſalutem vniuſcuiuſque pertinent? An non multo plures ſunt apud vos, non literati tantùm, ſed indocti etiam ac ſordidi artifices, qui ſe his ſtudiis quaſi mancipant? legunt ſacros codices à vobis in hoc paratos, libellos veſtros circumferunt, diſputant, rixantur, ſurda omnia

reddunt. Quî nobis minùs licet quàm illis? An quia laici ſumus, tractamus domeſtica, vxores, liberos habemus? Tu credo viua vna, alteram etiã & quartã duceres, ſi tibi lege permitteretur: nec mirum, cùm ſpretis Eccleſiaſticis ſanctionibus, vetitis etiam te nuptiis copularis. Nõ quòd reprehendam matrimonia, ſi ritè contrahantur, ſed quòd homines qui ſoluunt diſciplinam Eccleſię, vota contẽnunt, derident cælibatũ, virginitatem rẽ ſtultam ac ſupra naturam eſſe perſuadent, his ipſis rebus ne dignos quidem eſſe arbitror. Quid igitur nos diſtinet, quid arcet à ſacris literis? Illud fortaſſe quòd nos Rhetores, Grammatici, vilis prophanaq; turba ſumus, tu ſacrę patinæ magiſter, ſolẽnis doctor & eximius. Quod ſi ita eſt, ſi titulis magis q̃ doctrina, vita ac moribus, doctis quibuſlibet eſſe licet, victi ſumus Grammatici, cedimus magiſtro, te doctorem, præceptorem agnoſcimus, ſed ita tamen, ne laceſſas deinceps Grammaticos ac Iuriſperitos. Quis enim te Brentio aduocatum? quis propugnatorem conſtituit? an ille non potuit cauſam ſuam agere per ſe? Credo meliùs etiam & quidem nudus, quàm tu cum galea, & lorica, & clypeo. Quid te igitur impulit, vt bellum

lum nobis tam infestum, tam inopinatum indiceres? Ecquis nostrûm te læsit vnquam? Ac de me quidem satis conscius sum. De Bredenbachio autẽ persuasum habeo, quòd ante hoc tempus ne de nomine tuo quidem vnquam audiuerit. Quid igitur causæ fuit, quòd nos innoxios tam hostiliter appetiuisti? & quidem innoxios aduersum te. Nisi tu causam fortasse communem suscipis. In quo si stat sententia, nequicquam solo Clypeo rem gesseris, alia armatura tibi, alia panoplia opus erit. Sed mitto nugas.

Quæro ex te fanatice, quam ignominiam afferant studia mea Iurisperitorũ ordini? Quæ exempla sint illis prohibenda? Iuristæ, inquis, notantur prouerbio, quòd mali sint Christiani, quod si tu scribere perrexeris contra nos, confirmabitur de illis opinio. O ineptum nugatorem. Tu studia pia rectaque prouerbiis, ac non sibi ipsis potiùs permittenda esse censes? Cur non ipse igitur vendis libros, si quos habes? cur non cessas lucubrari aduersus Papisticos? Institutum Ecclesiastæ cur non mutas? Nullum ne dictum extare putas in Theologorum ordinem? in nouorum dogmatum

concinnatores? *Iuriſten boeſe Chriſten*, vulgò dicitur, quod ego non inficior. at ego viciſſim in te refero, *Die gelerten die verkerten.* An non par pari relatum eſt? Neque enim poſterius adagium minus in vſu eſt, quàm quod tu in me protuliſti: nec minus in te tuumque ordinem competit quod ego retuli, quàm quod tu in mei nominis inuidiam in vniuerſum ordinem Iuriſperitorum, licet cum interpretatione officioſula (ſi Diis placet) non ſine nota tamen ac ſugillatione, contuliſti. Neque enim temere illud meum cùm in doctos omnes, tum verò maximè in Theologos vſurpatum eſt, præſertim literatiores, qui vt doctiores aliis, ita & arrogantiores, dum perſæpe tentant ea, quæ effugiunt captum eorum, vel aliter obtinere non poſſunt, fabricant nouas ſententias, nouaque dogmata gignunt, quæ & pertinaci animoſitate, vt dicit Auguſtinus, defendunt. Sed ad rem.

Tu ſcripta mea Iuriſperitis ignominioſa eſſe cenſes? At leguntur tamen à multis, ac lectu etiam fortaſsis non indigna ab omnibus iudicantur, eoque magis etiam quò minùs ti-

bi

bi placent. Mihi certè displicent, quòd non furiosiùs etiam à te oppugnantur. Cohibendum me esse putas, ne ampliùs scribam. Hoc tibi tuique similibus iam olim indicendum erat, ne scriberetis tam multa, quæ aliquando rescribenda forent. Quàm velles elinguem me esse, ne tibi vel tuorum cuiquam ob streperem, sed nihil agis. Aut minus certè dicendum tibi in alios, aut peiùs etiam audiendum erit.

Literas sacras infeliciter à me tractari cauillaris. Quid ita obsecro? An quia Ecclesiam primam rudem appellaui, eò quòd didicerit aliquid ab Apostolis ac Patribus, nec ædificatio eius continuò consummata fuerit? De hoc suprà responsum est tibi, & quidem abundè, vt arbitror. Hîc illud etiam addo. Si Iurisperitus fortasse contra Bucerum dormitasset in aliquo, aut quid durius, vel aliter etiam quàm tibi placet, effudisset in illa responsione sua, tú ne idcirco, ad quem res illa nihil pertinebat, raperes illud in crimen blasphemiæ? moueres nouam tragœdiam? Iurisconsul-

fiſconſultos in ſtudia mea nominisq; mei inuidiam cõcitares? Quid igitur profeciſti vano tumultu iſto? Credo illi indixerunt mihi ſilentium, exciderunt linguam Latomo, & ne quid hiſcat amplius ſub pœna fractæ pacis mandauerunt. O ridiculum litigatorem. Quis te obſecro induxit, quis impulit in hanc inſaniam? Tu ne Iuriſperitos omnes veſtros eſſe putas? aut ſi eſſent, ineptiisne tuis, ac ſtultitiæ plus quàm fanaticæ locum daturos? cùm ne ſi vellent quidem, ac maximè etiamſi conarentur, cogere quenquam tamen à propulſanda iniuria, atq; à ſcribẽdo, niſi ſponte ſua acquieſcentem, auertere vllo iure poſſent. Si te mordent ſcripta mea, ſi me vis parciùs tractare ſacra ſtudia, ſtylumq; à te tuisque cõuertere, frena linguam, petulantiam cohibe, deſine in me impotentiſsimum maledicentiæ tuæ virus effundere. Nemo vnquam à me niſi prouocato, niſi culpa ſua, læſus eſt. Incideram in Bucerum, qui prior ad me ſcripſerat ante annos plus minùs quindecim. primùm expoſtulatio inter nos, & quidẽ inoffenſa, mox res in contentionem abiit, vter cauſam dederit certamini, ſcripta vtrinque tunc edita oſtendunt. Quieui deinde

aduerſum

aduersum omnes, nec cũ vllo homine de religione mihi causa fuit, vsque ad nouissimum colloquium Vvormaciẽse, quo per dissensionem vestram abrupto, cùm à vestris excusatio edita fuisset, in qua acerbissimè de causa etiam tota perstringebantur nostri, culpaque dissoluti conuentus in ipsos odiosè transferebatur, respondi pro tempore, motus & literis nostrorum, cùm inde discessissem, & causæ societate, cui adhibitus fueram, eaque responsione & depuli inuidiam falsę criminationis pro captu meo, & causam communem quantum potui fide optima defendi. Edito hoc libello, qui vernaculo sermone scriptus erat, incurrit in me Datenus quidam, & quidem eodem stratagemate quo tu, aliud scilicet agens, sed respondi mox homini plausum captanti ex vano impetu in me facto, & ita respondi, licet paucis, vt senserit me non gratis à se appetitum fuisse. Tu nunc quartus ille es, quem pariter delectauit experiri contra me, vltroque inopinantem inuadere, nullo nec dicto nec facto meo priuatim vnquam læsus, quod dissimulassem equidem, nisi alios etiam homines aduersum me non inuidiosè tantùm, sed igno

miniosè etiam compellasses.

Sed redeo ad sacras literas, quas tu me infeliciter tractare ais, & quæro ex te, in quónam peccem, & vbi sit hæc infelicitas mea? vtrum in materia scribendi, an in forma? vt Dialecticè, vel etiam Metaphysicè tecum loquar, sed melius est Grammaticè, ne volitemus altiùs, & fortasse inter nubes cæcutiamus. Quæro igitur, quid desideres in scriptis meis, sicubi ad Theologica ventum est? Vtrum minùs intelligo scripturas apertas & expressas? quales vos in hac tota causa constituitis (sicut & Bucerus olim contra me pugnabat) atque idcirco nullam interpretationem nisi ex scriptura ipsa admittitis? An si qua fortè iuxta veterum doctrinam intelligo, eloqui tamen satis commodè & explicare non possum? Sed quæso te, vt dicas mihi, si molestum non est, vbi tu, & à quo sacras literas didiceris? quibus præceptoribus, quibus interpretibus sis vsus? Solísne vobis Euangelicis licet sacris studiis operam nauare? nobis veteratoribus non licet? quibus nec magistri antiquiores quàm vobis, nec cæteræ facultates desunt, aut vnquam defuerunt.

runt. Quadraginta plus minus annis ſtudiis operam dedi, exceptis paucis, quibus nunc Reipublicæ milito. Quantum profecerim, aliorum eſto iudicium, me certè nec temporis, nec laborum pœnitet, neque pudet quicquam, niſi quòd te tuiſque ſimiles non tantùm in ſacris literis, ſed in Eccleſia etiam Dei, totiusque religionis negotio tam ſuperbè & arroganter verſari video. Pontificios, hoc eſt, Papiſticos errores, criminaris me defendere. Obſecro oſtende, doce, quos vnquam defenderim ſciens? Nihil te pudet calumniæ? nihil contumeliæ, qui hoc ſceleris aduerſus mentem conſcientiamque tuam, in me conferre audes? Niſi errores fortaſſe vocas, ſententias illas ipſas, de quibus inter nos eſt controuerſia. In quo rurſus apparet Dialectica tua, quàm in ea acutus, quàm exercitatus ſis, qui illud ipſum ſumis, & rapis in crimen contra me, de quo adhuc, verum falſúmne ſit, inter nos contenditur. Hoc eſt canere encomium ante victoriam, hoc vanis ineptisque nugis cauſam deploratam agere. Vicia Pontificum, errores, mo-

res, luxum, ambitionem, auaritiam, quæ tu illis in egregio illo Hyperaſpiſte tuo, tragica ſedicioſaque infectatione, plus quàm vno in loco obtrudis, nihil defendo, nec credo vera eſſe, quæ ab inimico homine, ab hoſte veteris Eccleſiæ ingeruntur. Et ſi eſſent vera, quod tu tamen ſanis cordatisque hominibus, nunquàm ita vt tu obiicis, perſuadebis, quid hoc ad doctrinam Eccleſiæ? de qua mihi hîc tecum controuerſia eſt, quæ quanto interuallo à moribus ac diſciplina diſtet, alibi à me demonſtratum eſt, nec quiſquam prudens ignorat, alioqui ne vos quidem ipſi de Euangelio, de æternitate verbi Dominici, aut gloriari tantopere, aut verbum vllum conſtanter proferre poſſetis.

Sed mitto vanitatem & inconſtantiam criminationis tuæ in alios, in me porrò quid decernis? Iuriſperitos, ais, honori ſuo conſulturos eſſe, ſi impietatem vnius hominis (me deſignans) coërceant, ſi agant cum illo, ne ſcribat ampliùs, ſed intra fines vocationis ſuæ ſeſe contineat. O grauem Theologi ſententiam, & quidem Doctoris, niſi Staphylo illuſit. Ceſſabis

ſabís ne os durum, impietatis mihi crimen obiicere? de quo tam multa contra vos ſcripta ſunt, nec ſcripta tantùm, ſed multis etiam præiudiciis, multis magnisque totius Eccleſiæ authoritatibus confirmata? Quaſi verò ſi conuitiis certandum ſit, ego non poſsim veriora fortaſſe, atque acerbiora etiam in te regerere. Sed quæ tandem eſt, obſecro, vocatio mea? quibus me finibus circumſcribendum eſſe cenſes? vtrum vt dedam me libidini ac petulantiæ tuæ? an vt liceat mihi calumniam à cauſa, contumeliam à nomine meo depellere? At ego vicíſsim ex te quæro, quæ tua ſit vocatio? & maneas ne tu quoque intra fines eiuſdem, ſicut te dignum eſt: & ſi manes, quomodo geras te in eadē? quibus modeſtiæ ac verecundiæ laudibus apud tuos, quibus publicę honeſtatis exēplis apud omnes commenderis? Neq; enim intereſt tranſilias fines eiuſdem, an prauè in eadem, aut inſolenter verſeris. Reſpondebis mihi, opinor, Theologum te eſſe, Paſtorem Eccleſiæ Göppingenſis, verbi diuini concionatorem. Præclara certè vocatio ac liberali homine digna, ſi & cætera reſpondeant. Noſti enim quæ Paulus requirat in miniſtris Eccleſiæ, præſer-

tim in Epiſcopis ac presbyteris, qui iidem erant in prima Eccleſia,& quorum munus tu hodie apud tuos adminiſtras. Quid requiritur igitur? Lege quæ enumerantur ad Timotheum, & expende ſingula, potiſsimùm autem Græcas voces, quæ ſignificantiores ſunt Latinis, & inuenies imaginem veri Paſtoris, qualem ſi tu te præbuiſſes ſemper, aut hodie etiam pręberes, habuiſſes certè rationem pudoris ac verecundiæ tuæ, neque vnquam tam petulanter & contumeliosè in Bredenbachium, in me autem tam ineptè & impudenter inuectus fuiſſes. Vult, ſi neſcis, Paulus, eos, qui ſeruiunt Eccleſiæ in primis autem Epiſcopos ac Presbyteros, irreprehenſibiles eſſe, idoneos ad docendum, modeſtos, tęperantes, non vinoſos, verendos honeſtis moribus, nulla leuitate, nullius dicti aut facti exemplo notabiles. Hæc an in te conueniant, vel horum contraria potiùs, tu videris. Mihi inexploratum eſt, quibus tu aut moribus, aut præclarè factis apud tuos illuxeris. Vnum diſsimulare non poſſum, quod perbellè Euangelicum eſt, quod cognoui Vvormaciæ, inſigne ſcilicet exemplum eorum, qui tractant adiaphora (quæ vocant) qui nihil tribuunt

buunt disciplinæ Ecclesiasticæ, nihil bonis operibus, quę etiam peccata vocant, nullas ceremonias in Ecclesia admittunt. Eramus, si meministi, in Colloquio Vvormacien̄, & interim concionabantur ad populum hinc nostri theologi, illinc qui ex vestris partibus erant, magna populi frequentia, dū vndiq;, vt fit, ciues & hospites confluebant. Hic tu noster probandæ, vel certè ostentandæ doctrinæ tuæ causa, occasionem nactus, in tam celebri conuentu prodiisti & ipse in publicū, & in concionem ascendisti. At quo habitu? pulchro sanè & decoro, nec theologo minùs quàm tali & loco & tempore digno, ex veteribus certè hierarchicis venerabilē aliquem dixisses. At quo tandem ornatu? nihil mentiar, cum sago aulico paulum infra genua, manica altera picturata circa siniſtrum humerum, exertis vtrinque brachiis, & cum cultro venatorio ad latus. mirum quod petasum crassum illum ac villosum, in diuersorio reliqueras, quo te paucis antè diebus tectum, eodē quo dixi, ornatu, in frequentissima maioris templi concione conspexeram, cum illuc scilicet nō diuini verbi, sed explorandi causa, vt arbitror, accessisses. O impudentiam nostri seculi, & licentiam

tuam

tuam effrenatam, quam ne posteri quidem, si audierint, crediturí sunt. Tu ad ministerium Ecclesiæ vtcunque non vocatus dico, sed adhibitus, qui te & doctorem theologiæ & pastorem Ecclesiæ nominas, cui & cura animarum honesti oppidi commissa est, tu inquam, neque ministerii tui ratione habita, neque præsentiam tot literatorum hominum, qui de religione conuenerant, reueritus, spreta abiectaque omni de te qualiscunque opinionis cura, non teipsum modò seruili hoc prophanoque habitu spectandum populo, sed nomen etiam existimationemque clarissimi Principis tui, cui subditus es, & prostituisti publicè, & quantũ in te fuit, contumelia indignissima affecisti. Quid enim aliud egisti homo insolentissime? quis leuitatem illam tuam, quis impudentiam aliter interpretari potest? Multi sunt professionis tuæ doctiores, nobiliores, grauiores, in veteri religione oppugnanda, quàm tu sis, quis illorum vnquam tali ornatu prodiit in publicum? quis gladiatoria, vt ita dicam, picturataque veste Ecclesiam ingressus ostendit se populo? verbum Dei in os sumere sustinuit? Tu vnus inuẽtus es, qui loco illo ac tempore,

pore, in tam celebri conuentu, in concione publica, coram tot honestis vtriusque religionis hominibus, ostentare te tali habitu, pudendum certè tuis ipsis collegis, auersandum bonis omnibus, totumque ordinem Ecclesiasticum togatum ad talos vsq; à tot seculis, candidatum, in diuino ministerio, pudore & contumelia afficere ausus fuisti.

Dices, opinor, nihil referre, quo quis habitu appareat in publico, modò piè & Euangelicè concionetur. Candidum amiculum nihil conferre ad pietatem, papisticum inuentum, scænicum ornatum esse. Audio & agnosco Cynicum philosophiæ genus, quod si verum est, cur non saltas etiam nudus in foro? cur non in stola muliebri concionaris? eructas crapulam? vomis in conuiuio? vestrem etiam crepitu, aut, si opus sit, alia etiam necessitate leuas? An hæc turpia non sunt? Sunt, inquis, sed diuersa ab ornatu Papistico. Quid ita? An si quis furiosus saltet in foro, aut vestem vxoris indutus in publicum prodeat, num tu illi succenseas? Idem si hæc ipsa facias sanus, tu probes factum? hominem collaudes? Quid igitur interest? nisi quòd hic alia & personæ,

& temporis,& loci ratio eſt, alia illic. quod qui non videt,nullius ſani hominis iudicio pro ſano haberi debet. Neque enim quicquid licet cuiq;, nec punitur legibus,continuò & rectum eſt,ſed quod fit rectè & honeſtè. nec quæcunque ſecundum naturam fiunt honeſta ſunt, ſed quæ reguntur ratione, locisque & temporibus, & perſonis, & cauſis ſicut oportet, conueniunt. Quis hæc autem diſcernit? quis, inquam, niſi cui diuinarum humanarumque rerum ordo ac moderatio cognita eſt? quis hic eſt autem, niſi ſapiens, qui diuinarum humanarumq; rerum ſcientia pollet? Sed remotiora ſunt hęc à captu tuo fortaſſe, veriſsima tamen. Dico igitur Euangelicis literis, ciuilibus moribus ac legibus contineri quę recta, pia, honeſtaque ſunt. Hæc ſi tu ignoras, diſce ab aliis. Multa natura ipſa, multa præcepta legum humanarum, multa conſenſus ipſe tacitus docet, quorum tu ſi ſenſum vllum haberes, nõ tã inſolẽter oſtentaſſes te in publico, ſed peperciſſes ſaltem moribus & diſciplinę, & religioni veteris Eccleſiæ, neq; tam turpiter te nouo inſolentiq; habitu in concione Eccleſiaſtica illo loco & tempore iactaſſes.

Sed tu negas hiſtrionicũ ornatum (ita enim ap-

appellatis) vel à Deo præceptum, vel consensu sano maiorum introductum esse. Ergo tu solus sapis, solus sentis ac vides cum tuis, quæ recta, pia, decora, honestaque sint. Nihil pudet arrogantiæ, nihil immensæ temeritatis? Ego vicissim ex te quæro, vbi amiculo candido supra togam? vbi pallio nigro, purpura, argento & auro, in templis vti prohibitum sit? Quæro item, cur tu in officio Ecclesiastico toga potiùs quàm paludamento? veste nigra aut ferruginea potiùs, quàm lutea aut viridi vtaris? vbi hoc scriptum sit? Omitto hic constitutiones Ecclesiasticas, quas vos contemnitis. Illud quæro, valeántne mores consensu publico introducti? vel, sitne consuetudo vlla in Ecclesia recipienda? Nam Paulus certè consuetudinem allegat de habitu viri ac mulieris in Ecclesia. quanto magis decorum illud in ministris Ecclesiæ spectandum seruandumque est. Non dico, ineptum hic absurdum, indecorum, aut pietati contrarium, quicquam recipiendum esse, sed quæ honesta, pia, vtilia sunt, ad commendationem ministerii Ecclesiastici, ad officii dignitatem, ad honorem ac venerationem diuinæ maiestatis. Hæc quid vetat

inſtitui, ſeruari in Eccleſia? ſicut plus mille quadringentis annis recepta, ſeruataq; fuerunt.

Quid te igitur faſcinat Sagate? cur contemnis veſtitum clericalem? ornatum Eccleſiaſticum contumelia afficis? irrides? Parúm ne inſaniit Cynica illa veſtra Adiaphoriſtarum ſchola? & quidem duplex ac nec ipſa ſibi ſatis conſtans, quæ dum veſtitum honoratiorem eiecit ex Eccleſia, introduxit viliorem, tanta ordinis perturbatione, tantaque dignitatis iniuria in populo, vt vix plebeium à miniſtro Eccleſiæ, vix balneatorem à concionatore diſcernas. Sed negas miniſtrum veſtitu ſanctiorem eſſe. Ego nec deteriorem eſſe puto. Sola fides, inquis, nos ſanctificat, iuſtos pioſq; reddit, Deo commendat. Vt concedam hæc tibi, ſine fide minimè fieri poſſe, ſola certè fide fieri nego. ſed de hoc alio in loco, nũc de adiaphoris. Quæro ex te, ſi fiant ex fide adiaphora iſta, vt ſi miniſter Eccleſiæ, credẽs in filium Dei, atque omnia in eundem referens, vtatur iuxta morem & conſuetudinẽ Eccleſiæ, lineo amiculo in executione muneris ſui, rectè ne iuxta diſciplinam, an ſecùs fecerit? Secùs feciſſe eum, qui diſciplinam tenuit, dici quî poteſt? Rectè igitur feciſſe eum con-

confitearis neceſſe eſt, cùm neutrum horum factum eſſe, niſi frontem prorſus amiſeris, dicere non poſsis. At hoc ipſum adiaphoron eſſe, ais, an non? Si adiaphoron tibi eſt, ad iuſtitiam fidei, ad quam vos reuocatis omnia, nihil pertinet, fietq; vt neq; iuſtior, neq; ſanctior dicatur is, qui ſeruat diſciplinam & conſuetudinem Eccleſiaſticam, tanto introductam tempore, receptam, approbatam, quam qui ſpernit, eandem contemnit inſolenter & abiicit. Quod ſi verum eſt, vbi tandem, aut quibus in rebus eſt iuſtitia vlla fidei in nobis? ſiue de vera & inhærente iuſtitia, ſiue de imputata loquaris (nam vtriuſq; hic par ratio eſt.) Vbi eſt, inquam, iuſtitia vlla in piis, deuotis, ſanctis hominibus? quorum adhuc multos eſſe arbitror in Eccleſia, plures certè apud maiores noſtros fuerint. Cur Paulus toties vocat ſanctos, quos ſalutat? cur dicit nos per ſanguinē Chriſti ablutos & ſanctificatos eſſe? Niſi fortè in cæteris factis moribusq; noſtris eſt, vel ſaltem imputatur (iuxta doctrinam veſtram) iuſtitia aliqua. in his autem quæ ad cultum & diſciplinam Eccleſię pertinent, nulla eſt? ſed prorſus remoues diſciplinam à fidelibus in Eccleſia, coſdemque

liberos ab omni externarum rerũ obſeruatione, atq; ita verè Euãgelicos, vt tu vis, iuxta ſcita placitaq; tuorũ facis? quod ſi ita eſt, vt certè eſt, fruſtra hic tecũ agitur, niſi fortè vt alii melio-res reddantur, ſed tibi ipſi ipſe, hoc eſt, & ſago tuo, & Clypeo es relinquendus. Scriptura certè cõmendat diſciplinã omnibus, laudat inhærentes maiorũ veſtigiis, diſſolutos, rebelles, cõtumaces reprobat. Adiaphoron eſt fateor, hac vel illa veſte vti, ſi res per ſe ſpectetur, ſed non tibi, nõ hoc loco, hoc tẽpore, quæ affectiones cùm accedũt, nõ eſt Adiaphoron ampliùs, ſed Diaphorõ, hoc eſt, rectũ vel prauũ, iudicandũ. Paulus exiſtimat, nihil eorũ quibus veſcimur, cõmune per ſe, immundumq; eſſe. Vetat tamẽ cibo vti quo alterius cõſciẽtia læditur, negatq; charitatẽ eſſe in eo, qui cũ alterius offenſione hoc vel illo cibo vtitur. Idẽ vetat mulieres loqui in Eccleſia, cùm tñ Adiaphoron ſit ſermone à natura dato vti vel nõ vti. Iubet mulieres velatas orare in tẽplo, viros aũt aperto eſſe capite, & ſi quis ea in re cõtentioſus ſit, conſuetudinẽ eidẽ opponit. Idẽ iubet mulieres modeſto ac minimè ſumptuoſo amictu ornatas eſſe, auro & margaritis, & tortis crinibus, prohibet.

hibet. An non hæc oĩa ſunt Adiaphora? niſi tu fortè q̃ monuit, hortatus eſt, p̃cepit tãtus Apoſtolus, ad pietatẽ, ad iuſtitiã Euangelicã, ad vitę ſanctimoniã, ad publicã honeſtatem nõ pertinent? Quã vellẽ conſtãter vos, & qua decet religione legere ſacras literas, & ex eiſdem omnia diiudicare. Sed hactenus de vocatione vtriuſq; noſtrũ, & plus ſatis etiã quàm neceſſe fuit. ſed tu me impuliſti in locũ iſtum, qui aliter ne in mentem quidem mihi erat venturus.

Reſpõdi igitur tibi de obiectis criminibus impietatis ac blaſphemiæ, de vſu calicis, de Eucharistico ſacrificio, ad quod etiã digrediendũ fuit, de profeſsione ac ſtudiis meis, de vocatione vtriuſq; noſtrũ, & in primis de tua, quã modeſto eandẽ exemplo Vvormatiæ illuſtraueris. Quod ſi tibi ꝓlixior aut vehemẽtior etiã fortaſſe viſus ſum, quã ꝓ cauſæ magnitudine, ſcito me & procacitatẽ tuã, & iniuriã, nõ meam tantùm, ſed & Bredenbachii vlciſci voluiſſe, in quẽ tãta ſuperbia, tantaq; petulantia inuectus es, virũ alioqui tibi (vt ſuprà dixi) minimè contemnendũ, tantaq; indignitate eundẽ tractaſti, vt cùm me ſociũ illi feceris, putarim cõmunẽ cauſam aliquãto acriore ſtylo defendẽdã eſſe.

FINIS.